DE ASTHMATE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM ... IN CELEBRATISS. I...

Angelo Gerosa

DE ASTHMATE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
PERILLUSTR. FACULTAT. MEDIC. DIRECTORE
SPECTAB. D. DECANO NEC NON CLARISSIMIS
D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

FRANCISCO MARABELLI

CHEMIAE PROFESSORE O.

PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE CAPESSENDA IN CELEBRATISS. I. R. ARCHIGYMN. TICINENSI

Mense Februar. an. M. DCCC. XXXI

UNA CUM THESIBUS ADNEXIS

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTEBAT

ANGELUS GEROSA

EX MERATE IN PROVINC. NOVOCOM.

TICINI REGII
Ex Typographia Fusi et Socii.

DE ASTHMATE.

Definitio, classificatio, et nosographia.

Asthma, secundum *Cullen*, est spirandi difficultas per intervalla subiens, cum angustiae in pectore sensu, et respiratione cum sibilo strepente; tussis ab initio paroxysmi difficilis, vel nulla, versus finem libera, cum sputo muci saepe copioso.

Pertinet hoc morbus ad neuroses pseudo-chinesias, idest ad convulsiones, in systemate nosologiae methodicae clar. prof. *Hildenbrand*; atque ad spasmos in illa celebris *Cullenii* jam primum relatus.

Insultus asthmatis nonnullis praenuntiatur quandoque prodromis; alias improvise corripit. *Floyer*, qui annos quinquaginta morbo istiusmodi obnoxius fuit, nos monet, prodromos diversos ejus insultibus semper praecessisse. Generatim ante difficultatem respirandi, oppressionem et angustiam, patiuntur aegri

quemdam plenitudinis, extensionis stomachi sensum, qui vino, tabaco, decubitu ad horizontem in lecto calidiori augetur; sensum ponderis, ardoris, doloris ad caput, ad faciem. Accedunt oscitationes frequentes, mituritio, gravitas totius corporis, speciatim artuum, difficultas motuum voluntariorum. Quandoque praecedunt calor et sensus ardoris in pectore, secus extremitates, rubor et turgor insolitus faciei et fames quasi insatiabilis. Alias praegrediuntur noctes insomnes, ructus, nausea, vomitus, ptyalismus, virium debilitas, inapetentia, extremitatum, capitis, et occipitis praesertim frigus. Vox dein evadit rauca, debilis, et phaenomenis hisce se daut socios tremores, motus manuum, tibiarum ac crurum convulsi, spasmus tonicus musculorum pectoris, tussis, sensus constrictionis ad laryngem et imam pectoris regionem. *Floyer* observavit ulcera inflammari, sanguinem ex ipsis effundi, et aegros cardiopalmo, pulsatione molesta in pectore, in abdomine, in collo improvise vexari, ac demum asthmatis paroxysmo corripi.

Incipit spirandi difficultas cum sensu constrictionis ad laryngem et circa pectoris imam partem; decubitus ad horizontem evadit difficilis, et ideo aegrotus cogitur truncum erigere, et in lecto sedere et caput retrorsum flectere. Tussis jam antea, vel ab initio vel eunte paroxysmo excitatur, et progrediendo augetur. Contractio spastica diaphragmatis, et musculorum abdominis valde excruciat, et aeger videtur eo locorum tetano correptus. Sibilus et stertor respirationem comitantur atque materierum strepitus

per vias ejusdem sudatur ac moventium. Animi abjectio et metus vicinae suffocationis invadit. Quandoque spasmus eo adaugetur ut vires omnes auxiliares sint opus ad respirandum. Anxietas summa aegrotum ad istiusmodi adstringit conatus, quibus perficiendis multum fatigatur et languore deficit. Interim facies est turgida, rubra, oculus ferox, prominens, labia sunt livida, collum et venae praesertim jugulares intumescunt. Tussis evadit difficillima, et ejus insultus leipothymiam, vel syncopen ipsam inducunt. Pulsus plerumque sunt fortes, pleni, parum frequentes; interdum parvi, suppressi, celeres, frequentissimi, vel etiam inaequales, debiles, intermittentes. In casu graviori molestus vexat syrigmus; oculi apparent languidi, suffusi, retracti, lacrymantes; facies est pallida, nausea et vomitus anxietatem, languorem, metum suffocationis augent; facies, collum, pectus copioso manant sudore jam calido, jam frigido et viscoso. Visus tandem obscuratur vel ratione alia laeditur; vertigines dictis faenomenis se adjungunt; aeger est inquietus, continenter exagitatur, stragula rejicit, aerem optat frigidum, liberum; stertor et materierum strepitus in trachea et bronchiis crescit; leipotymiae et syncopes vitam auferunt. Si tamen accessus asthmatis in morte non terminatur, tussis evadit sensim facilior; anxietas, agitatio, sensus constrictionis in ima parte thoracis atque in larynge se imminuunt; sputa per tussim excreantur densiora et copiosius, unde fit, ut strepitus materierum in trachea et bronchiis denique cesset, et respiratio liberius expleatur.

Urinae quoque abundantiores profluunt; et diarrhoea interdum visa est accessui finem ponere. Aegrotus, hocce absoluto, est debilis, defatigatus, et libenter somno indulget.

Post asthmatis accessum, respiratio innotescit facilior certe, sed non prorsus libera. Occasiones etiam leves valent difficiliorem ipsam reddere. *Caelius Aurelianus* jam scripsit intervalla quietis nil aliud esse nisi totidem morbi leviores tractus, quos possunt copula, tussis, vomitus, indigestio, repletio, aer pulverulentus, refrigerium adhuc exasperare.

Accessus asthmatis redit et cessat quotidie per dies septem, vel undecim, vel quatuordecim. Quandoque ipse aggreditur sero, plerumque post dimidiam noctem, et summo mane evanescit. Intervallum diei jam est omni incommodo liberum, jam tussi et aliqua spirandi difficultate a mane ad vesperum, seu ad accessum alterum comitatum.

Ubi pendeat morbus a vitio organico, quod neque ars hyppocratica, neque medicatrices naturae vires valeant emendare, chronicus evadit, habitualis, et phaenomenis morbosis aliis originem praebet. Aeger fit melancholicus; obnoxius est dyspepsiae, ructibus, flatibus, stipsi, vel diarrhoeae, et cytius vel serius intabescit. Alias oculi flavescunt, vel et icterus universalis apparet; alias tument manus, pedes, facies, et tumores istiusmodi oedematosi jam se imminuunt, jam augentur, jam omnino evanescunt pluries in adfectionis cursu, antequam mors luctuosam occludat scenam. Decubitus in latera corporis tunc eo magis

redditur difficilis; abdomen tumet aere et sero effuso; sitis insatiabilis, faucium siccitas vexant; aeger aut somnum nunquam videt, aut interrupte, et brevibus tantum intervallis ipso reficitur.

Haec est generalis asthmatis nosographia, quae tamen plus vel minus differre potest pro diversa subjectorum dispositione speciali, occasionum et conditionis pathologicae, unde morbus oritur, naturae atque influxu, nec non virium vitalium statu et efficacia.

Aetiologia.

Asthmatis causa proxima est irritatio vel idiopathica, vel sympathica pulmonum, laryngis et diaphragmatis, qua partes istae et consensu vel opere etiam iisdem proximae ad motus excitantur convulsos, quorum complexus asthma vocatur. Hinc liquido patet, omnia quae vel directe in partes istiusmodi agendo, vel sympathicum ipsis inducendo effectum, dictum irritationis statum ciere valent, ita ut exinde peculiari ratione efficientia nervorum, qui motui in partibus iisdem praesunt, qualitative aberrans inordinatam, et quasi ab imperio centralium fontium subtractam regat ejusdem functionem, in causa asthmatis occasionali esse posse. Aliqui de scriptoribus anglicanis causam proximam circumscribunt laryngi, alii musculis tantum arytaenoideis. Auctor quidam a contractione spastica fibrarum tracheae causam asthmatis derivat, et ita *Cullenii* favet spasmi theoriae.

Rich asthma vero induxit laryngem comprimendo. Injecta sunt corpora extranea, uti liquores diversi, substantiae solidae etc., in vias respiratorias quae morbum excitarunt. A nonnullis eadem repetita fuerunt experimenta; ast effectum compressionis laryngis non obtinuerunt. Quodcumque horum tentaminum sit praetium, certum est, partes omnes, quibus respiratio expletur, inter se vicissim connecti lusu consensus, et participes esse affectionum, quas aliqua patitur. Eminenter sane patiuntur musculi laryngis et diaphragma; sed negari nequaquam potest, fibras, et textum contractile bronchiorum, tracheae, cellularum pulmonis, nec non musculos ipsos intercostales et abdominis spasmum participare.

Foeminae utero graves, hystericae, tributum mensile secundum naturam minime pendentes; individua temperamenti phlegmatici, habitus corporis cachectici, malae thoracis conformationis, in neuroses proclivia, vel iisdem obnoxia, physconia hepatis aut splenis adfecta, pneumonitidem, vel etiam partium aliarum pectoris, et fistulae aereae inflammationes passa; senes, belluones; qui laborant, vel opus faciunt aeri calido, sicco, et temperaturae ejus vicissitudinibus expositi; qui degunt in locis pulverulentis; qui vescuntur alimento nimis stimulante, vel acri; qui periodicis venae sectionibus aut profluviis habitualibus suescunt; qui tandem clima vel nimis siccum, vel nimis humidum habitant, aut caldariis abutuntur, speciatim in asthma ferunt dispositionem.

Multae sunt occasiones asthmatis ab auctoribus

recensitae, et inter praecipuas diversae annumerantur aeris atmosphaerici conditiones. Revera, aer calidus, aestuans, oxygenio dives, vel extraneis particulis stimulantibus, acribus inquinatus, vel cum vaporibus ejusdem naturae mixtus, systema respirationi dicatum irritat, functiones ejus subvertit, asthmati originem praebet, et tales ipsi conditiones dynamico-organicas inducit, ut deinceps novis, etiamsi levibus, occasionibus respiratio fiat difficilis, anxia, et accessus asthmatis periodice recurrant. Hinc observamus morbum frequenter in aestate et in omni atmosphaerae calidioris circumstantia. *Floyer* eonte praesertim aestate asthmate laborabat. Qui laborant fornacibus expositi, in caldariis, vel ratione alia igni objecti, facile eidem morbo subjacent. Hinc *Aretaeus* scripsit, praa ceteris illos asthmate vexari, quos opificium cogit apud ignem degere. Aer etiam oxygenio dives, irritabilitatem capillarium et efficientiam nervorum acuendo, incitationem systematis vespiratorii adauget; hinc factor contractivus alterum praestat, et inde asthmatis accessus ducit originem. Fertur reapse asthma sibericum esse morbum inter habitatores montium frequentem. *Helmontius* refert, quemdam juvenem Bruxellis ne noctem quidem dormire posse, quin asthmate corriperetur. *Floyer* ipse non poterat super montes somno indulgere absque simili incommodo. Medici nostrates experti sunt contra hunc morbum inspirationem aeris oxygenii; et cum juvenis quidam, evidenter debilis, asthmate obnoxius hac methodo usus esset diebus nonnullis, tam vehementi asthmatis

accessu correptus fuit, ut parentes jure timerent ne moriretur. Plures sanguinis eductiones eum tanto vitae discrimine abripuerunt. Auctores hinc dicunt aerem calidum et siccum asthmaticis nocere. *Huxam* observavit aegrotos suos in pejus ruere sub tali aeris atmosphaerici imperio. Quapropter, ex peculiari conditione aeris atmosphaerici diversorum climatum et regionum, atque ex ejusdem vicissitudinibus in diversis anni temporibus intelligitur, cur asthma sit morbus endemicus aut epidemicus in ullis terrarum regionibus, vel anni tempestatibus.

Non solum aer nimis calidus, sed frigidus quoque asthmati originem praebet. Referunt auctores, asthma esse generatim morbum regionum septentrionis. Sed illic non frigus tantum supputatur, ast etiam aestus caldariorum, et vicissitudines caloris et frigoris, quibus habitatores se se objiciunt. *Wilson* defendit, frigus esse causam communem asthmatis in ullis Angliae regionibus, praesertim Scotiae. Hoc minime denegandum, nam quaevis admotio frigoris corpori valet morbum inducere. Sic visum est asthma oriri ex potuum frigidorum abusu, ex balneis, ex fomentis frigidis, ex nive organismo admotis. *Hoffman* observavit asthma ex vento frigido, et aere humido, nocturno obortum.

Meteorae aeris atmosphaerici normale auferunt aequipondium inter factores dynamicos, qui functionem respirationis et circuitum sanguinis aequabilem per pulmones moderantur, talique pacto origini favent asthmatis, quod influxu levium occasionum dein

facillime recurrit. Revera asthmatici male se habent, dum tempestas vel mutatio sensibilis circa aeris conditiones imminet.

Nimia atmosphaerae humiditas, et aer minus oxygenatus valent eundem generare morbum. Hinc patet ratio, qua asthma sit morbus habitatoribus locorum, qui paludibus et aquis stagnantibus abundant, sat communis. Sic annis et mensibus, quibus dominatur haec aeris frigida et humida constitutio, mors asthmaticorum frequens occurrit, et ex barometri descensione quasi praedici posset caedes, quam asthma edet. Originem hanc ducebat asthma a *Milman* in pueris observatum.

Aer mephiticus, cum effluviis, vaporibus, particulis diversae naturae mixtus, occasionibus asthmatis accensetur. Illud produxit aer acido carbonico inquinatus, et azoto dives. Quidam pharmacopola asthmaticus morbi accessum patiebatur quoties arculam aperiebat, ipecacuanham continentem. Vapores plumbi idem efficiunt; et una sunt de praecipuis caussis asthmatis illorum, qui in fodinis laborant, vel praeparata dicti metalli tractant. Observatum est asthma oriri ex effluviis rosarum, aliorumque vegetabilium; ex pulvere diversae indolis, ex calce et gypso una cum aere inspiratis. Civitas Vidobonae hac causa asthmaticis abundat. Qui lanam trahunt aut carminant; qui pelles et res palleceas flagellant, obnoxii sunt tussi vehementi et asthmati ob pulverem ex ipsis pulsum et inspiratum. *Ramazinus* hunc inter asthmatis occasiones censebat, nec non vapores qui

ex fusione sebi, et ardentibus ejusdem substantiae candelis se evolvunt. Acidum nitricum fumans; vapores sulphuris, acidi sulphurici, hydrochlorici, ammoniae, arsenici, mercurii; aer hydrogeniusin fodinis tam abundans inter easdem occasiones jure annumerantur.

Animi adfectus vehementes, motus similes, conatus, abusus liquorum stimulantium et victus lautus asthma effecerunt. *Riedlinus* hunc morbum ex ira; *Wilson* ex moerore, ex abjectione animi ob timorem de vicinis miseriis aut gravibus infortuniis; ex nimia lucri cupiditate, ex nimia applicatione, ex longioribus vigiliis ortum observavit. Relate ad motum vehementem evictum est, animalia cursui, ponderibus ferendis et vecturae destinata, asthmate saepius laborare. Idem individuis speciei humanae contingit. Vehemens inspiratio aereas extendit cellulas, et ipsarum tandem renixu superato, aer penetrat in textum cellulosum eas connectens, et hocce enormiter inflat. *Sauvages* censet, hanc aeris immissionem esse causam asthmatis animalium frequentem. Ipse in juvencis asthmate mortuis pulmones vidit emphysematicos. Ceterum, *Eloyer*, *Ruischius*, *Hunter*, *Conraghi* loquuntur de emphysemate pulmonum uti asthmatis causa. Nec tela cellularis pulmonum intra cancellos proprios eundem aerem perpetuo claudit. Sed victo dein obstaculo quod objiciunt cellulae textus ejusdem et pleura pulmonalis, aer effunditur in cavum pectoris, et exinde mortalis anxietas oritur ob mechanicam pulmonum compressionem. Eodem modo operantur vociferatio, cantus, cursus, sonitus; et ideo asthmati facile subjacent ora-

tores, cantores, sonitum ex ore dantes, cursores, et veredarii. Cibi nimis stimulantes; potus alcoholici imitationem augent et asthma efficiunt. Ostreae, limaces, carnes salitae, duriores, caseus vetus, acer sunt alimenta et occasiones, quae illis, specialem dispositionem in asthma ferentibus, morbum excitarunt, vel ejusdem accessus revocavere, si eum jam patiebantur.

Gastrismus, et ideo colluvies saburrae gastricae et biliosae; repletio, alimenta degenerata, vermes frequenter in causa fuerunt asthmatis consensualis. *Camper* asseruit, se raro laesionem organicam pulmonum in asthmaticis invenisse. Opera omnia pathologica faciunt asthmatis stomatici mentionem. *Baglivius* et *Stoll* pluries observarunt asthma consensuale ex dictis occasionibus obortum. Excessus alimenti farinacei, parum-nutrientis, extensionem abnormem et debilitatem fistulae gastro-entericae inducendo causa asthmatis penes populum classis inferioris sat frequens evadit. Eundem valent inferre morbum aquae limosae abunde stomacho ingestae; abusus coffeae et theae; potus copiosus liquorum, unde aer acidus carbonicus largiter se evolvit.

Etiam venena interdum asthmati originem praebent. Conium maculatum, fungi virulenti, opium, hyosciamus, atropa mandragora inter ea ab auctoribus ullis recensentur; et perniciosus ipse effectus extenditur quoque frictionibus mercurialibus diutissime continuatis, aut contra rei usum adhibitis.

Annumerantur dein inter causas asthmatis reten-

tiones evacuationum, quas natura statuit homini proprias, vel aetas, dispositio specialis, habitus, proclivitas in morbos hypersthenicos ei necessarias reddidit. Hinc amenorrhoea, menostasia, menolypsis in foeminis asthma, teste *Hoffmano*, produxit. *Burserius* accenset ejusdem causis suppressionem fluxus hoemorrhoidalis. *Cartesius* observavit asthma in juvene quodam ex suppressa epistaxi obortum, et revocatione hujus profluvii curatum. Homo quidam eidem morbo fuit obnoxius, quod negligeret humeris ex more suo cucurbitulas admovere; et alter venae sectionem cui jam assueverat. Notus est intimus consensus qui viget inter pulmones et partes genitales. Hinc patet ratio, qua foeminae utero graves, nec amplius tributum mensile pendentes, saepe asthma patiuntur; et puberes quandoque fiant asthmaticae sub tempore ejusdem fluxus. Denique subjungam, morbum produxisse interdum suppressionem sudorum pedum habitualium, et ulcerum siccationem.

Profluvia quoque valent asthma producere. Abusus Veneris et masturpatio accensentur ejusdem causis. *Platerus* refert, hominem quemdam non posse Veneris amplexui indulgere, quin gravi corriperetur asthmatis accessu. Fluxus menstruus excedens, lochia nimis copiosa, venae sectiones haud jure factae organa respirationis debilitant, et asthma convulsum cient. Sudores profusi febrium intermittentium paroxysmos comitantes vel finem iisdem ponentes morbum pariter induxerunt. Eadem ratione quandoque egit larga et diutina diarrhoea. Visa est foemina jam pubes

asthmate laborare ab neglectam lencarrhoeam, et profluvio hocce idoneis auxiliis cohibito, sanitati restitui. Abusus emeticorum et purgantium non raro in causa morbi fuerunt.

Vitia organica uteri, stomachi, hepatis, et partium aliarum sunt totidem asthmatis consensualis occasiones. Zeller in cadavere hominis jam asthmate laborantis nil aliud invenit nisi tumorem circa cardiam praegressae lentae inflammationis effectum, et ab omni labe immune respirationis systema. Alii sectione cadaverum invenerunt tumores uteri, calculos in renibus, in hepate, aut vitia alterius indolis.

Exanthemate secum trahunt asthmatis accessus in stadio invasionis, vel intempestive retropulsa ejusdem evolutioni favent. Loquuntur Auctores de asthmate, quod retropulsioni scarlatinae successum pluribus annis individua vexavit. Variola et morbillus gravis haud raro sub schemate asthmatis se primum annuntiant. Auctores *Observationum Medicarum Academiae Tolosae* mentionem faciunt asthmatis ex miliaribus anomalis oborti. *Raggi* dilectum amicum suum amisit asthmate erysipelati tibiarum successo.

Impetigines non ex praeceptis scientiae medicae tractatae, vel neglectae, vel retropulsae asthma effecerunt. Scabies haud recte curata frequenter ei locum cessit, testibus *Oxiander*, *Quarin* et aliis. *Ploquet* mentionem facit asthmatis hujus originis, quod iterum pustulis scabiei ad cutem erumpentibus sponte cessavit. *Ascoff* observavit asthma natum ex herpete cute evaso. Videntur partes internae processu

phlogistico lento, plerumque insuperabili, tunc corripi pro entis adfectione; et pulmones, atque diaphragma, in hujus locum subsututi, propriam sub forma asthmatis manifestant passionem. Hinc originem duxit nomen asthmatis impetiginosi.

Injuriae externae, lapsus, contusiones pectoris, dorsi, causa quandoque fuerunt asthmatis vehementis. Dominus quidam ticinensis in sua juventute ex vectura dejectus, ob contusionem pectoris in corpus durum percussi asthmate laboravit in aetate magis provectus, cujus accessus sanguinis eductione tantum mitigabantur. *Platerus* vidit asthma ex contusione dorsi effectum.

Morbi multiplices praecedunt, comitantur, alternant, vel post se relinquunt asthma plus minusve grave et pertinax. Luxatio costarum, tumores pectoris, vitia columnae spinalis, angustia et mala thoracis conformatio a *Riedlino* occasionibus accensentur hujusce morbi, cujus natura et character pendent a dispositione speciali individuorum, circumstantiis peculiaribus inducta. Asthma effecerunt vitia partium, quae functioni respirationis et circuitu sanguinis dicatae sunt. Anatome pathologica ejus causas et sedes invenit. Inflammationes tracheae, laryngis, pharyngis, vasorum majorum et cordis posthuma reliquerunt diversa, quae tali spirandi difficultati originem praebuere. Concretiones, durities, ossificationes partium dictarum, per anatomen pathologicam tamquam causas morbi detectas, nil aliud fuisse nisi phlogoseos consecutiones censemus. Inflammationes praesertim

chronicae laryngis et pharyngis asthma efficiunt et non minus illa bronchiorum, pulmonum et pericardii. In illis cadaveribus inventus est post tracheam abscessus, qui mechanica pressione causa fuerat asthmatis vehementis. *Rhus* et *Morgagnius* tumorem observarunt laryngi haerentem, et materie putrida repletam qui pariter asthma induxerat. Cartilagines laryngis, majorem adeptae naturali crassitiem, eidem influunt liberae respirationi obstando. Effectum ipsum producunt dictae cartilagines carie exesae, tumores hydatiformes, polyposi et aliae diversae indolis degenerationes. Tracheae anuli cartilaginei, post ipsorum vulnus, se ae introrsum flectunt, et respirationem per totum vitae curriculum difficilem reddunt. Opera anatomiae pathologicae istiusmodi referunt exempla. Post tracheam tumores ex praegressa inflammatione, aut ratione alia sunt nati qui fistulam hanc comprimendo asthma effecerunt. Circa divisionem tracheae inventus fuit sectione cadaveris individui asthmatici tumor sarcomatosus pugni magnitudine, et a *Letson* alter steatomatosus, qui fuerant causa difficilis respirationis ex intervallis redeuntis. Glandulae tracheae inflammatione evadunt tumidae, duriores et liberum impediunt aeri in pulmones accessum. Eodem modo agunt corpora extranea casu in vias aereas delapsa. Inflammationes, et morbi alii eas sequentes, glandularum colli, praesertim thyroideae et thymi, tracheam comprimendo asthmatis in causa sunt. *Letson* observavit asthma ex thyroideae induratione, et *Camper* ob glandulas lymphaticas colli tumidas et duro-

res. Sectione cadaveris individui jam asthmatici inventa est glandula thymus naturali adeo crassior ut ad dimidium pectoris cavi descenderet. Concretiones occultae, lentae inflammationis pulmonum, pleurae, pericardii valent asthma efficere. Concretiones mutuae harum partium, abscessus in cavo pectoris vel in substantia ipsa pulmonum, horum durities inter eas recensentur. Tuberculi, calculi, hydatides ibidem generatae per anatomen pathologicam inventae sunt in cadaveribus individuorum, quae asthmate laboraverant. Pulmones quandoque comprimuntur tumoribus sarcomatosis, abscessibus, vel alius naturae; et humore in cavum pectoris effuso, vehemens per accessus se renovans spirandi difficultas inde oritur. Chronicae inflammationes diaphragmatis, ejus tumores differentis naturae, erniae per ipsum contingentes causa fuerunt asthmatis pertinacissimi, cujus originem medici etiam expertes cognitam non habuere nisi post mortem cadaveris autopsia. Ossificatio cartilaginum costarum, motum earundem impediens; inflammatio mediastini; effusio sanguinis in cavum pectoris; hydrocardia; ossificationes pericardii; effusio sanguinis in hunc saccum; oesophagus tumidus, extensus, ejusdem abscessus, tumores, alimenta in ipso stagnantia, etc. tracheam comprimunt et in causa asthmatis esse possunt. Respiratio in intimo est nexu cum circuitu sanguinis, hinc cum statu cordis et vasorum majorum. Cor bovinum, dilatatio abnormis, varices, aneurismata dictarum partium; angustia aortae, ejusdem valvulae ossificatae

sunt vitia organica saepe in cadaveribus asthmaticorum detecta.

Sed non solum morbi et vitia organica partium in collo et thorace sitarum, verum etiam labes viscerum abdominalium, et morbi differentes alius sedis asthmatis evolutioni et pertinaciae plus minusve favent. Sic tumores diversae naturae hepatis, splenis, pancreatis, omenti, et renum, qui diaphragma sursum pellendo cavum pectoris imminuunt, inter ejusdem causas recensentur. Hysteriasis ad pectus quandoque se stringit, et asthma formae aut characteris diversi ciet. Idem observatur cum spasmus vel convulsio hysterica laryngem praesertim afficit. Hypochondriasis inter formas diversas, sub quibus innotescit, vel inter phaenomena sibi propria etiam asthma non raro exhibet. Podagra huoc morbum quandoque alternat. Asthmatis podagrici mentio fit in omnibus nosologiis. In scorbuto spirandi difficultas et tussis individua ex intervallis aggrediuntur. Quandoque datur manifesta inter symptomata scorbuti et asthma vicissitudo. Lues venerea sub forma asthmatis interdum se praebet. Auctores nlli loquuntur de febre intermittente asthmatica, atque de scrofula, quae inter cetera symptomata asthma secum trahebat.

Divisiones.

Dividitur asthma in *mite* et *grave*. In priori, accessus brevi tempore durant; se circumscribunt levi difficultati spirandi cum levi tussi; plerumque cessant

mutatione decubitus, vel capite elato decumbendo; vomitus aut copiosus urinarum fluxus eis finem imponit; accessus ex longis intervallis redeunt; ex levibus occasionibus oriuntur. Pertinet ad mite illud e graviditate, ab amenorrhoea, a repletione, a nimio potuum usu obortum. Asthma mite plerumque sympathicum — Paroxysmi asthmatis gravis durant multis diebus aut hebdomadis, et frequentius recurrunt. Plerumque est idiopathicum. Symptomata ejus vitae discrimine terrent. Vires omnes auxiliares sunt opus ad respirationem explendam. Anxietas est summa; vexant dolores ad pectus, ad scrobiculum cordis, ad stomachum, nauseae, vomitus. Decubitus ad horizontem est impossibilis; aer frigidus optatur; periculum adest suffocationis; pulsus sunt inaequales, intermittentes; facies et collum tument, livescunt; oculi prominent; accedit stupor, somnolentia, leipothymiae, sudores frigidi, et syncope ipsa videntur ex intervallis aegrum e vivis abripere. A gravibus pendet occasionibus, uti essent chronica inflammatio viarum et organorum, quae respirationi inserviunt, ejusdem terminationes diversae, posthuma, vitia praecordiorum, etc.

Haud prorsus inutilis videtur distinctio asthmatis in *plethoricum*, *inflammatorium*, *acutum*, *praecordiale*, *convulsum* seu *nervosum* — Plethoricum est asthma, cujus pathologia conditio posita est in congestione sanguinis intus systemate sanguifero pulmonum. Proprium est individuorum, in quibus oritur ex nimia sanguinis quantitate ob genus vitae lau-

tissimum, ex vini abusu, ex neglectis, aut suppressis naturalibus vel suetis evacuationibus, ex nimio calore, aut substantiis irritantibus una cum aere in pulmones ductis — Dolor, calor excedens, tussis, symptomata febris inflammatoriae, sputa cum sanguine mixta, et signa alia extra insultum asthmaticum persistentia, inflammatorium indicant. Si cessis jam phaenomenis localibus inflammationis et febre, insultus tamen asthmatis continuant graves, pertinaces, suspicionem injicient, asthma oriri ex laesionibus organicis, quas partes illae subierunt ob praegressam inflammationem, praesertim pulmones, bronchii, diaphragma — Asthma praecordiale dignoscitur signis, quae vitia diversa praecordiorum significant. Si aneurysma est causa, illud comitantur pulsationes arcus aortae, micatio carotidum, pulsus fortes, duri, motus cordis et arteriarum inordinati. Dilatatio summa et undulationes jugularium, pulsus irregulares et intermittentes indicant asthma ex varicibus praecordiorum — Acutum spectat ad tracheitidem membranaceam cum imminente suffocationis periculo, symptomatibus inflammatoriis parum manifestis — Convulsum, seu nervosum est illud mero dynamismo, in adfectione efficientiae nervosae duntaxat radicatum, absente quovis vitio systematis sanguiferi, aut organici partium, quae respirationi inserviunt. Quod nascitur ab animi pathematibus, a venenis, vel comitatur hypochondriasim, hysteriam, graviditatem, et generatim sympathicum talis est characteris.

Ab auctoribus recensetur etiam asthma *periodi-*

cum. Accessus morbi tunc redeunt determinatis anni temporibus, et videntur in intimo nexu esse cum diversarum tempestatum influxu.

Dividitur asthma in *idiopathicum*, *sympathicum* et *symptomaticum* — Vocatur idiopathicum, quando ejusdem causae directe agunt in vias et organa respirationis, aut vitia, unde pendet, iisdem haerent — Sympathicum oritur ex causis extra respirationis instrumenta positis. Hinc distinctum fuit in *stomaticum*, *intestinale*, *uterinum*, etc. pro ut ex morbosa sympathia instrumentorum respirationis cum stomacho, intestinis, utero, vel parte alia originem ducat. Hinc differentiae aliae sunt natae, et stomaticum atque intestinale distinguitur in *verminosum*, *flatulentum* et *saburrale*. Flatus, ructus, nauseae, magna stomachi et intestinorum extentio, dolores hisce partibus haerentes medicum ad diagnosim ducunt. Haud tamen obliviscendum, haec signa quandoque indicare non primariam stomachi aut intestinorum affectionem, sed consensum morbosum instrumentorum respirationis cum partibus iisdem. Sub gravi asthmatis insultu obtinent nauseae, ructus, vomitus, flatus quio stomachus et intestina causam asthmatis ferant. Ex praecessis, ex suetudine vel proclivitate individui in errores diaeteticos, ex vomitu vel diarrhoea finem insultui ponente dignosis asthmatis stomatici depromenda. Ad stomaticum refertur etiam asthma ex vitiis organicis stomachi oriundum. Verminosum dignoscitur signis verminationi propriis — Uterinum pendent ex adfectionibus uteri, gravi-

ditate, etc. Ad ipsum pertinet asthma *hystericum*, quod uti symptoma hysteriasim comitatur. Uterinum recurrit tempore secretionis sanguinis menstrui, aut si haec functio suppressa sit tunc eum expleri deberet. Indicia alia sunt tumor, dolor, pulsatio regionis hypogastricae, vicissitudines caloris et frigoris, gravedo capitis, dolor mammarum, copiosus urinae aquosae fluxus, et cardiopalmus. Evacuatio sanguinis menstrui vel finem asthmati ponit, vel emolumentum affert. Signa graviditatis; dyspnoea, quam aetate puberi foemina patiebatur, suspicionem ferunt, a morboso uteri consensu asthma pendere; praesertim si aliae praecesserint graviditates cum respiratione difficili, cui partus terminus statuerit. Caeterum oportet etiam ad vitia organica uteri animadvertere; nam asthma quandoque ortum est ex visceris hujus inflammatione lenta, tumoribus, duritie, etc. Tandem subjungam, ad sympathicum pertinere quod a vitiis hepatis, pancreatis, renum et partium aliarum atque a difficili in pueris dentitione originem ducit — Symptomaticum comitatur hydrocephalum, hydrothoracem, febres intermittentes larvatas, exanthemata et morbos alios.

Asthma distinguitur dein in *primarium* et *secundarium*. Hocce haud raro sequitur catharrum, peripneumoniam, pleuritidem, podagram, etc. Diagnosis elucet ex signis, cursu et terminatione morborum, qui illud praecesserunt.

Demum nonnulli ponunt discrimen inter asthma *siccum* et *humidum*, pro ut tussis cum abundante

muci expectoratione ejus accessum et finem comitetur, nec ne. Asthma mere dynamicum, seu nervosum et sympathicum ad siccum plerumque, dum plethoricum, inflammatorium et catarrhale ad alterum referri possent.

Terminationes.

Differunt terminationes asthmatis pro varia individuorum constitutione, pro variis momentis caussalibus unde oritur, pro varia conditione pathologica, in qua radicatur. Plethoricum et etiam nervosum transit in peripneumoniam, in pleuritidem, in diaphragmitidem et in alias instrumentorum respirationis phlogoses. Inflammatorium transit in phthisim, in hydrothoracem, in catarrhum pulmonis chronicum. Hydrops etiam catholicus haud raro est asthmatis diutini consecutio. Apoplexia, praesertim in senibus, ob congestionem vel effusionem sanguinis in cavum capitis, et syncope ob ruptionem vasorum praecordialium quandoque asthmati succedit. Epilepsia, haemophtysis, tabes recensentur ab auctoribus inter morbos, in quibus asthma interdum terminatur. *Hyppocrates* ipse cognitus habuit transitus asthmatis in epilepsiam, in asphyxiam, in apoplexiam, in syncopem atque in paralyses. Tetanus eidem alias supervenit. Dein evictum est asthma alterare morbos diversos, sub quorum apparitione ipsum evanescit. Scabies, et podagra ad externas partes eruptae asthmati finem imposuerunt. Haemorrhoides sponte fluen-

tes eundem produxerunt effectum. *Vogel* observavit asthma ab amenorrhoea natum prorsus cessare ut primum sanguis menstruus secerneretur. Metrorrhagia in casibus istiusmodi magni fuit emolumenti. Haemophtysis copiosa, vasa sanguifera pulmonum exonerando stimulo tam efficaci et morbosam sic imminuendo ipsorum irritationem, levamen attulit etiam tunc cum haemorrhagia ipsa videbatur timorem mortis injicere. Suppurationes partium exteriorum, et maxime mammarum, quandoque morbum absolvunt. *Fontana* loquitur de diarrhoea asthmati prospere successa. Quaedam puella asthmati obnoxia fuit morbilli repercussione: duobus post annis erysipelas grave erupit, quod asthmati finem imposuit. Idem contigit in casu asthmatis quod sequutum erat scabiem sale ammoniaco et sublimato corrosivo suppressam. *Stoll* vidit rheumatismum et arthritidem in locum asthmatis subrogari.

Prognosis.

Nititur prognosis in gradu et vehementia symptomatum, in tempore determinato, quo insultus redeunt, et alter alteri succedit; in diversitate momentorum causalium et naturae conditionis pathologicae, unde morbus oritur, atque in varia aegrotantium constitutione. Accessus vehementes, graves necant asphyxia, apoplexia, vel syncope. Generatim asthma, quod comitatur verax virium vitalium exhaustio, prae altero, ubi vires vitales resistunt, periculosum

habetur. Foeminae, pueri et senes in majus adducuntur vitae discrimen. Cardiopalmus et pulsus intermittentes, extra paroxysmum quoque, mali ominis sunt; nam suspicionem afferunt, asthma oriri ex vitiis praecordialibus, ex varicibus, aut aneurysmate, aut hydrothorace. Apparitio oedematis pedum quandoque aegri levamen praecessit. Oedema pectoris significat vel hydrothoracem vel hydrocardiam. Emolumentum quoque affert artuum inferiorum oedema, sed illud nunquam putatur hydrothoracis signum. Quandoque largus urinarum fluxus juvavit hydrothoracem impediendo. Medicus tamen animadvertat, in asthmate individuorum hypochondriasi aut hysteria laborantium hunc fluxum quasi semper contingere. Improvisa tussis atque expectorationis suppressio cum auctiori difficultate spirandi et anxietate signum est proximae suffocationis. Sequuntur paralyses et apoplexia. Aphonia, quae post insultum manet asthmaticum, significat laesionem et adfectionem nervorum, qui funiculis vocalibus distribuuntur. Vox, quae in pristinum restituitur post accessum asthmatis absolutum, est adhuc vivacis incitationis indicium. *Vogel* observavit febrem quartanam et abscessus tibiarum asthmatis cursum rescindere.

Cura.

Medicus qui asthmatis curam aggreditur, semper incipiat ab amotione occasionum unde moebus est natus, inde effectus ab iisdem instrumentis respi-

rationi dicatis inductos emendet, et ubi talem ferant naturam, ut amoveri non possint, saltem conditionem pathologicam, consensum et symptomata congruis mulceat similis, generatim oportet. Indicationes hae sunt, quibus satisfacere debet.

Superius monui, asthma haud raro nil aliud esse nisi morbi alterius symptoma seu epiphoenomenon. In casu istiusmodi cura non asthmati uti morbo convulso, sed causae proximae unde morbus primarius pendet, certe opponenda. Symptomaticum ergo inflammationis instrumentorum, quae respirationi inserviunt, nec non viscerum aut partium extra thoracem sitarum deposcit sanguinis eductiones tam generales quam locales, pro diverso adfectionis gradu, virium statu, et subjectorum conditionibus repetitas. Iisdem maxime opus est, si sputa cum sanguine mixta appareant; si calor auctus et dolor pectoris adsint, si difficultas spirandi vitae terrent discrimine; si facies livida, oculi prominentes, rubri, et collum turgidum se offerant. Quis eductionem sanguinis ex brachio, et vena jugulari hic negligeret, faucibus mortis subjectum certe relinqueret. Eadem methodus vero convenit in casu asthmatis plethorici, cujus naturae generatim est illud lauta nutritos aggrediens juvenes, aut viros habitus corporis robusti, temperamenti sanguinei, aut individua alia jam evacuationibus naturalibus vel suetis, et nunc suppressis vel neglectis, obnoxia. Pulsus tum pleni et fortes sunt; atque in casus similes eductiones sanguinis laudantur a *Celio Aureliano*, a *Celso*, a *Burserio* et ceteris

praxeos medicae peritis. Dentur casus asthmatis, quod exoritur ebusu chocolatae, victus lautioris, potuum spirituosorum et vitae sedentaria: tunc nil eiud levamen parat, nisi sanguinis eductio. Illis, qui asthmate laborant suppressione haemorrhoidum, fluxus menstrui, haemophtysis, epistaxis, etc, auxilio juvet admotio hyrudinum eno, pudendis, jugulo et naribus.

Scopo eodem inflammationis eut congestionis topicae emendandae laudibus extolluntur nitras potassae, utiliter contre morbos omnes hypersthenicos nunc adhibitus, remedia nauseantia, dulcia, tepidula, leves emetici et purgantia. *Stoll*, qui ex colluvie saburrae gastricae et biliosae etiam neuroses derivabat, purgationes entiphlogisticas et emetica contra asthma proponit. Haud certe negandum auxilia istiusmodi convenire in casu asthmatis inflammatorii et plethorici, tam idiopathici quem consensualis; sed post institutas sanguinis eductiones generales et locales, vel saltem eodem tempore administrata. Relate autem ad emeticos, medicus animadvertat ne vitia eisint organica, maxime praecordiorum. Tum emetici praescribuntur, cum morbi causa est nota et eos deposcit, uti in casu repletionis, fungorum venenetorum, vel alius substantiae noxiae stomacho ingestae. Doses exiguae ipecacuanhae leves cient nauseas, et utiles sunt ad novos asthmatis accessus impediendos.

Quandoque asthma est morbus pertinax, neque evacuantibus, etsi characterem induat hypersthenicum, neque remedus alns jam dictis cedit. Haud mirum igitur, si medici confugiunt ad nove exilia, quae

practici cognita habent tamquam ad abnormitatem vitalem infringendam efficacia. In usum hinc ulli trahunt digitalem purpuream, alii nucem vomicam, aquam lauri cerasi et etiam acidum hydrocianicum. *Johnston* digitali purpurea asthma, ceteris remediis inutiliter jam administratis, pluries vicit aut mitigavit. *Darwin* quoque in curatione hujus morbi fidenti animo utebatur pulvere vel infuso plantae ejusdem. *Hanemann*, cum frustra administrasset digitalem purpuream, manifestum obtinuit emolumentum ex nuce vomica refractis dosibus porrecta.

Frigus ipsum adhibetur contra asthma hypersthenicum. Extant casus asthmaticorum qui utiliter magnam aquae frigidae quantitatem bibebant tempore paroxysmi, et si ipsa mane utebantur jejune, novo obstabant accessui. Balneum frigidum idem quandoque attulit levamen. Anglus quidam jam diu asthmate laborans, remediis omnibus pervicaci, in mare se dejicit ad finem miseriis suis ita ponendum: sed statim poenituit ineptiae suae, et natans in tutum se fert: morbus exinde se immunuit, et progrediendo plane cessavit.

Asthma tam idiopathicum quam sympathicum radicatur quandoque in debilitate vel in auctiori sensibilitate instrumentorum respirationis, alius partis, vel totius organismi. Influunt tunc curae ejusdem stimuli diffusibiles, toxica remedia, et sedativa. Primi et ultima conveniunt tempore paroxysmi; secunda hocce jam absoluto. Praeparata opii, moschus, aetheres, camphora praecipua sunt auxilia, quae asthmati

characteris hujus medentur. — Opium est princeps remedium inter antispasmodica vel sedativa, et asthma ab invasione etiam saepe rescindit. *Tralles* et *Willis* summam ejus efficaciam cognitam habuerunt. Asthma ab animi adfectibus, ab hysteria, ab incommodia pueritiae obortum, usum opii deposcit. Illud frigore, pervigilio, nimia animi attentione excitatum praeparatis opii subigitur. Cum exanthemata repercussa ob organismi hyposthenìam in causa asthmatis sunt, practici contagium ad praeparata opii in finem ea ad cutem revocandi. Dosibus vero exiguis, et frequenter repetitis sunt administanda. Inter ipsa laudanum liquidum congruo vehiculo commixtum, et acetas morphinae dosi grani unius, vel duorum in aqua melissae solutus, et intra nictemerum sumendus, palmam sibi abripiunt. Iisdem medicus uti potest tam per os et anum adhibitis, quam externe, convenienti ratione admotis. — Ex moschi usu, generosiori manu praescripti, *Lentin* et *Hufeland* plurimum emolumenti obtinuerunt in asthmate hypochondriaco et hysterico. *Raggi* anteverti moscho accessum asthmatis in quadam foemina infortuniis obruta, remedium administrando sub apparitione spasmorum et doloris ad pectus, qui nonnullis diebus ad ejus invasionem praecedebant. Usus aetherum bene conducit asthmatis curationi ad anxietatem, spasmos et accessum morbi imminuendum. Laudantur a medicis praesertim anglis. Vapores eorum inspirati vires reficiunt asthmaticorum, et syncopen, epilepsiam, atque asphyxiam jam imminentem antever-

tunt. Aetheres tunc ceteris remediis praeferendi ob anbitam ipsorum actionem. — Accedit camphora. Sub illis individuorum circumstantiis magno juvat auxilio. Convenit praesertim in casu asthmatis a repercusso exanthemate, at ubi efficaci remedio sit opus ad turbas systematis nervosi opportuna compescendas. In aethere soluta validum praestat medicamen.

Aeres diversos medici experti sunt ad asthmatis curationem. Inter ipsos aer oxygenius spem dedit utilitatis. *Fordice* et *Stoll* defendunt, inspirationem aeris hujus manifestam aegris attulisse emolumentum. Nuper communis erat inspiratio aeris oxygenii in morbis hyposthenicis; et inter morbos, quos contra adhibebatur, asthma erat natura istiusmodi. Sed ipse est remedium ordinis secundarii; una cum aliis nempe operatur.

Olea essentialia at gummi-resinae pariter adhibentur. Reapse utilitatem afferunt in asthmate ab affectionibus stomachi nervosis, hypochondriaco et hysterico. Gummi ammoniacum, assa foetida largiori dosi administrata tales juvarunt pluries asthmaticos. Castoreum omnibus temporibus habitum est tamquam anchora sacra, ad quam medici confugiebant in casu hysteriae proteiformis, et ideo ubi etiam sub schemate asthmatis innotescebat. A primis medicinae temporibus laudata fuit substantia haec ab *Aëtio* et *Paulo Aegineta*. Oleum bituminosum praescribitur contra asthma a vermibus. Oleum *Cajeput* ceteris praeferendum in casu asthmatis chronici, habitualis. Exhibetur solum, vel moscho commixtum.

Asthma est morbus pervicax, difficilis ad emendandum. Morbosa suetudo potitur organis respirationi dicatis, quae actione minimarum etiam occasionum ad spasmum, ad motus convulsivos facile provocantur. Hoc praesertim evenit, si dispositio haereditaria et mala pectoris conformatio morbo inficiant. Haud mirum ergo si medici in casibus istiusmodi audaci animo venena ipsa, vel substantias medicinales sic dictas heroicas adhibere non timeant. Sic utuntur quandoque arsenico, cicuta, nitrate argenti, lapide caustico etc. Nihil obviam est maximae efficaciae in operibus pharmacologicis, quod contra asthma a medicis non fuerit laudibus elatum. Guttae sic dictae *Fowleri* et vapores arsenici auxilio quandoque juvarunt in casu asthmatis diutini et pertinacissimi. Sub usu lapidis caustici adaucta est urinarum secretio, apparuere sudores profusi et salivatio, unde proximum asthmaticorum levamen praenuntiare fas videbatur. — Mercurialia ipsa auxilium praestant efficacissimum ubi humores diversae indolis in cavum pectoris, inter substantiam pulmonalem, intus bronchiis effusi, post phlogosim pleurae, parenchymatis, tunicae mucosae etc. causam asthmatis constituant. Eundem producunt salutarem effectum in casu tumorum vias aut organa respirationis comprimentium. In fines hujusmodi, nempe ad favendum humoris seu materiae effusae, tumorem etc. absorptioni adhibentur frictiones, oxyda, calomel et praeparata alia. — Actionem ab illis mercurialium parum diversam exerunt iodii praeparata. Tinctura ejus et hydriodas potassae conveniunt

revera contra asthma a morbis scrofulosis instrumenta respirationis comprimentibus oriundum. — Cantharides, nicotianа tabacum, conium maculatum, scilla maritima, adjuvarunt aegrotos in casu asthmatis humidi, pituitosi, scrofulosi, ab hydrope, etc. Favendo secretioni urinae, et expectorationi idem credebatur ac asthmati mederi. Tamquam excretiones criticae habebantur profluvia istiusmodi; sed quando remediis nuper memoratis haec promovebatur, eorum apparitio nil aliud est quam declinatis morbi indicium. Quo ad cantharides, quas in usum trahuntur contra hidropes, curatio per ipsas obtenta, ac pariter earum tinctura, in casu exanthematum e cute retrocessorum, in casu paralyseos, praesertim vesicae, a nonnullis derivatur ex irritatione systemati uropoetico inducta, et inflammatione, ac potius ejusdem conditionibus, in cute excitata, vel saltem eo loci, ubi ratione aliqua admoventur; quamobrem irritatio morbosa, atque abnormis humorum affluxus cessant in respirationis instrumenta, vias et organa, et ita conditio quoque pathologica, unde accessus asthmatis oriuntur. *Wejcard* utebatur tinctura per frictiones adhibita. *Riverius* observavit plures asthmaticos convalescere ob dysuriam ob cantharidum inductam, et in casibus illis accessus asthmatis prorsus cessare statim ac dysuria apparebat non solum, verum etiam ulterius in scenam haud redire easdem difficultas illa mingendi persisteret. Revera in praxi obviam sunt casus perfectae vicissitudinis inter asthmatis accessus et dysuriam. Conveniunt praesertim canthari-

des sub forma vesicantium, tincturae, linimenti epispastici, etc., in casu asthmatis repercussionem exanthematum, efflorescentias cutaneas haud rite tractatas, hydropem externum, oedema artuum inferiorum consecuti. — Nicotiana tabacum pariter auxilio juvavit; sed observationes hac de re ab auctoribus relatae haud multam fidem merentur; et imo in hystericis atque hypochondriacis ab hocce remedio nec non ab ejusdem vapore, fumo etc., melius est abstinere, nam tussim molestam, sputa sanguinolenta ac veram inflammationem facile ciet. — Arnica montana laudata aeque fuit ad curam asthmatis. Ipsa medici sunt usi praesertim contra asthma a partu difficiliori obortum. — Scilla marina, ejusque diversa praeparata adhibebantur jam a remotis temporibus. *Celius Aurelianus* utebatur aceto scillitico; *Aegineta* hocce eodem et melle. Omnes dein medici scillam laudaverunt in casibus asthmatis, ubi secretionem urinae et sputa copiosa promovare est opus. *Lentin* praeferebat pilulas scilliticas pharmacopeae edimburgensis, et a nonnullis substantiam scillae, seu scillam praeparatam sub forma pulveris cum sacchard, nitro, vel ipecacuanha, vel medicamine alio. Ejusdem usus generatim praefertur contra asthma pedum oedema consecutum, oedemate faciei et pectoris, imminuta urinarum secretione comitatum, a retrocessione exanthematum vel impetiginum obortum. — Cicuta seu conium maculatum, adhibita fuit asthmaticis a *Quarin* et *Storck*. Contra asthma oriundum a scrofulis, successum rheumatismo, efflorescentiis cutaneis retro-

pulsis, comitatum tumoribus abdominis, glandularum colli, physconia viscerum, podagra, etc. efficacem exerit actionem. — Chloruretum baritae profuit in casibus iisdem, et difficultatem spirandi imminuit in casu asthmatis pituitosi. — Allium sativum, armoracia, coffea accensentur remediis contra asthma laudatis; et emolumentum afferunt ubi morbus acidis, debilitate, dyspepsia, et aliis stomachi adfectibus oritur.

Cortex peruvianus et sulphates chininae atque cinconinae, martialia, flores zinci in usum trahuntur a practicis in casu asthmatis cum manifesta virium debilitate. Praeparata cinconacea et ferrum maxime prosunt in illo, quod sequitur profluvia, e. g. metrorrhagiam, diarrhoeam; aut typum perfecte intermittentem offert, aut epiphoenomenon febris intermittentis ipsius constituit. Flores zinci prae ceteris remediis adjumenti sunt contra asthma mere convulsum, pertinax, in nimia systematis nervosi sensibilitate radicatum.

Vomitus recensetur inter auxilia asthmaticis praescripta. Medici ad ipsum confugerunt, quod observaverint, vomitum spontaneum morbo quandoque finem posuisse. Ad suetudinem rescindendam, quam processu temporis asthmatici ineunt motus convulsos adfectionis iterandi, prospere vomitum cient, quo insultum praepediunt asthmaticum. Auxilio eodem facilior redditur expectoratio muci in ultimis bronchiis stagnantis, et nova exanthematum atque impetiginum ad cutem eruptio. Abstinendum tamen ab emetico uti superius dictum est, in casu asthmatis a vitio

organico, ab aneurysmate, a varicibus, ab hydrothorace, a scirrho hepatis, ab hydrocephalo exorti. Dubium idem vitiorum horum existentiae emetici usum excipit.

Aquae tandem minerales asthmati remedus omnibus pervicaci medentur. Quae continent solutos salis alkalinos, acidum carbonicum liberum, principia sulphurea et hepatica, aerem hydrogenium sulphuratum prosunt in casibus illis, ubi asthma pendet ab emphraxi, physconia viscerum abdominalium, ab artritide, ab exanthematibus vel aliqua impetigine retropulsa.

Chirurgia ipsa asthmaticis diversa praestat auxilia. Ustibnes, cauteria, fonticuli, vesicantia, rubefacientia in hunc finem adhibentur. Practici comburunt jam pectus, jam caput ferro candente, vel moxa. Auxilio hoc finis imponitur irritationi vel chronicae phlogosi interiori, unde morbus frequenter pendet. Ad ipsum practici confugiunt ubi medicamina alia vel dubium vel nullum afferunt emolumentum. Si asthma oritur ex impetigine vel exanthemate, vel podagra retropulsa, ustio fit partibus quae morbo primario afficiebantur. Cum siccatio ulceris morbo originem praebuit; ipsius renovatio sanationem interdum affert. Vesicantia et rubefacientia adhibentur quando opus est externa irritatione et derivatione humorum ad irritationem et nimium humorum affluxum in respirationis instrumenta imminuendum aut praepediendum. Ipsorum admotio pectori, vel brachiis valet frequenter novos accessus impedire. In asthmate in-

flammatorio et plethorico praescribuntur post institutas sanguinis eductiones, et usum aliorum evacuantium, una cum expectorantibus, et diaphoreticis. Conveniunt etiam in asthmate pituitoso, in illo quod oritur ab exthemate, impetigine, vel morbo alio in cute intempestive cessato. Immo in casu asthmatis, ubi suffocatio imminens videtur, semper ad vesicantia confugere optimum est consilium, et in illo quasi habituali jam facto suppurationem plagarum iisdem inductam diu protrahere.

Tempore insultus asthmatici opus sunt ullae diligentiae ad meliori aegrotantium statui favendum. *Celsus* monebat, ut aeger trunco et capite elato decumberet. Monitum hocce videtur necessarium praesertim illis qui vitiis praecordiorum laborant. Aer sit liber, purissimus. Vapores acres, fumus, odores, aer stagnans, non renovatus, respiratione plurimum individuorum corruptus anxietatem auget, statum aegroti reddit pejorem. Exinde fit ut aer campestris et locorum salubrium asthmaticí curationi plurimum influat. *Celius Aurelianus* volebat aegrotos in aere clarissimo, nunquam obscuro degere. Cum notum sit, ipsos recreari aere libero et subfrigido; nocumenti esse individua plura in eodem aegrotantium cubiculo facile intelligitur. Temperies hujus non debet illam naturalis aeris excedere. Lecti molles, utpote, qui multum calefaciunt, negligendi sunt; nam calor excedens tam aeris ambientis, quam lecti insultum concitant asthmaticum. *Floyer* nequibat lectum mutare et in molliori decumbere quin

accessu asthmatis corriperetur. *Millar* cognovit individuum eidem obnoxium phaenomeno. Asthmatici debent abstinere motu vehementi et conatibus. Conveniens ipsis exercitium corporis est ambulatio, navigatio, iter per vecturam, aut prudens equitatio. Ceterum quies asthmaticis nunquam sat commendanda.

Mercurialis jubet asthmaticos plane abstinere carnibus duris, salitis et caseo veteri. Caro durior, salita stomachum valde irritat, difficilis est ad digerendum, et consensu instrumenta respirationis ad spasmum et motus convulsos excitat. Ficus passae, amygdalae et fructus alii consimiles crudi vel cocti, oblinunt intestina, alvum moderate apertam servant, et ideo alimenta asthmaticis utiliora a *Mercuriale* habentur. *Galenus* arbitrabatur, opus esse asthmaticorum alvum leviter apertam tueri ad morbi insultus praecavendos. *Marcard* ait, diaetam asthmaticis convenire tenuem, refrigerantem. Caveant, certe oportet, asthmatici a repletione, a potuum stimulantium abusu. Ulli proponunt asthmaticis lac asininum. Et certe usus lactis est potus familiaris, cujus utilitates in casu asthmatis a vulgo ipso magni ducuntur. Potus iidem salubriores nunquam magna quantitate, sed paulatim sorbendi. Si nimia enim quantitate glutiantur, stomachum praeter modum extendunt, et consensu atque pressione mechanica organa et instrumenta respirationis ad spasmum concitant in individuis asthmati obnoxiis. Talem effectum producunt cerevisia, et largiora coffeae, theae et simi-

lium pocula — Ubi vires vitales se offerant ex vero debiles, nec plethorae, nec processus phlogistici sit suspicio, auxilio juvant tenuis victus animalis, nutriens, facilis digestionis, et ova. Ibidem pauxillum vini veteris, amari et fragrantis potest sine dubio concedi.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Ubi tetanus originem ducit a phlogosi systematis nervosi; substratum phlogoseos ipsius non est medulla spinalis, aut nervorum inde nascentium pulpa, sed partium harum velamina membranosa.

II.

In praxi medica facienda magni refert pneumonitidem catarrhosam a vera accurate distinguere.

III.

Cohaesio in organis inflammatis se constanter imminuit.

IV.

Membranae serosae nunquam inflammantur nisi prius earum vasa hyalina arteriosam subiverint metamorphosim.